



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Ac ob commoditatem voventis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

dispensandi vota; Si enim vovens, ut sibi dispensetur in voto, verbi gratia, jejunii, elemosinam offerat ad opem suam, poterit et sola hac causa à jejunio dispensari. Respondet negative, cum Sanch. loc. cit. num. 17. quamvis etiam ea sufficiat ad commutationem, quia elemosyna commutatur certe inter opera bona in qua potest bonum opus voti commutari; non tamen sufficit ad dispensationem, quia dispensatio requirit aliquid obtinens executioni voti, quod non affert quacunque oblata elemosyna.

Dammum spirituale.

21. Si tibi facta est materia voti inutilis, vel mala, impediens majus bonum, ut si votum sit tibi causa minime spiritualis, sufficientem habes causam pro dispensatione. Tale esse Votum Castitatis in conjugato discernitur enim in tanta conjugii occasione cohibere quis à culpa se potest. Tale item esset idem votum, quando vel ex fragilitate, vel etiam ex malitia à te saepe illud esse violandum, notabiliter timeres: sic Suar. 2. de Rel. lib. 6. de voto c. 17. num. 12. Sanch. l. c. num. 44. & 45. quia posito, quod ex quocunque capite tibi votum inutile, vel periculosum est, congruum est, ut pia Ecclesia tanto malo subveniat per dispensationem.

22. Hoc reducto, si spectetur aliqua major utilitas spiritualis voventi per concessam dispensationem: sic Suar. l. c. 10. Sanch. l. c. n. 38. nam id dar causam sufficientem; quia per votum, principaliter bonum spirituale voventis intenditur.

23. Hoc item pertinet quando vovens multis scrupulis in voto exequendo divexatur, id enim damnum spirituale est, cui pius est succurrere. Sic Sanch. l. c. n. 43.

Dubium.

24. Si sis dubius, an intentionem habueris vovendi, an votum impediatur minus bonum, an ex executione voti nullum, damnumve impediatur, an votum impleveris, ut satis, superque dispositus es ad dispensationem. Ita Castro l. c. 11. & 14. citans Suar. & Sanch. quia benignitas Dei petit, ut in obligatione incerta facilitas sit eam remittendi. Item in aliquo dubio ex his votum non obligat, dictum est sup. lib. 1. c. 3. §. 7. verb. *Votum*.

Commoditas voventis.

25. Illud non admitto, solam commoditatem esse causam sufficientem licet enim hac sufficiat ad commutationem, ut alacrius Deo serviare; at satis nequaquam est ad dispensationem; quia ad hanc requiritur causa oblians executioni voti, qualis certe mera commoditas non est.

Quæ vota?

26. Omnia vota, quæ non sunt in præjudicium tertij, possunt dispensari ab Episcopis, Episcoporumque jurisdictionem participantibus; præter quinque, Castitatis perpetuæ, Religionis, triumque peregrinationum, nempe Hierosolymitanæ, Compstellanæ, Romanæ, devotionis causâ. Ita DD. *mox cit. & passim*. Quoniam vero reservatio odiosa est, utpotè ordinariam potestatem restringens, erit strictè interpretanda; ita ut ea quinque vota tunc reservata intelligantur, cum sunt strictè talia. Ita Azor. Sayr. Less. aliique apud Castro Pal. num. 3. tract. d. 2. de voto, part. 1. num. 1.

27. Unde vota dicta peregrinationum non devotionis causâ, reservata non sunt, nec votum Religionis non approbatæ, nec Castitatis non perpetuæ, nec votum non contrahendi matrimonium, non fornicandi, non se pollutendi, non tangendi turpiter mulierem, non petendi debitum in conjugatis, non petendi dispensationem de Voto castitatis perpetuæ, & similium: quia non sunt absolute & strictè vota reservata. Ita Sanchez lib. 4. in Dec. cap. 40. num. 77. Pont. reputat probabilem lib. 8. de matrim. cap. 8. §. 2. num. 27.

28. Idem dic de quibusdam circumstantiis voto re-

Part. I.

servato à se annexis, v.g. de voto illarum trium peregrinationum pedibus, vel de voto Religionis statim, vel de voto Religionis strictæ: Ita iidem, quibus addit Navar. lib. 3. cons. 4. 1. de voto, in 2. edit. non enim sunt reservata illæ conditiones, pedibus statim, stricta; quare poterunt dispensari ab Episcopis, remanente tamen substantia dictorum votorum, quæ certè reservata est.

29. Dixi autem (quæ non sunt in præjudicium tertij) nam quæ sunt in hujus præjudicium, an possint dispensari, diximus sup. §. 3. num. 2. & 3. & dicemus mox cap. 17.

30. Quod de Voto disjuncto; Si quis, verbi gratia, vovit vel Castitatem, vel Jejunium; Dico non esse reservatum. Ita iidem; quia libertas, quam is habet eligendi partem non reservatam, facit, ut totum ejus votum absolute à reservatione sit liberum. Quid, si pars non reservata reddatur illi impossibilis: ut si dictus vovens gravem infirmitatem incidat; unde jejunare non possit? Adhuc dico partem alteram non remanere reservatam, quia per accedens est, alteram eligi non posse. Ita iidem, quibus addit Laym. lib. 4. tract. 4. c. 8. n. 12.

31. Quid denique, si is elegerit partem reservatam: hæc post electionem, an remanet reservata? Dico, si elegeris per novum votum, reservata utique erit, ut ex se patet: at si elegeris absolute sine novo voto, putò non esse reservatam, quia sic remanet in sua primæva natura.

An vota conditionata sint reservata? Vbi An materia subrogata pro voto reservato, sit reservata.

32. Occurrunt hic tres difficultates: Primæ, votis verè conditionalibus, & pœnalibus in materia reservata. Si quis ita, v.g. voveat: *Pœnito Deo castitatem ob amorem hujus virtutis*, vel *ob amorem Dei*, est votum absolutum, & certò reservatum: at si voveat in hunc modum: *Si à Deo imperavero continentiam, ei Religionem promitto*, dicitur votum conditionatum. Si vero in hunc alium modum: *Si infero in penam voveo castitatem*, dicitur votum pœnale. Quæritur jam, an hæc duo vota conditionale, & pœnale, sint reservata? Addidi autem illud (verè) propter dicta sup. c. 1. §. 2. n. 1. & 2. & hic notat. Castr. d. 2. p. 1. num. 17. de voto.

Respondet, probabile quidem esse ex Sot. Azor. Pont. aliisque apud Castr. l. c. p. 2. n. 14. hæc vota, saltem adveniente conditione, substat reservationi, quia tunc transeant in absoluta: sed esse etiam probabile, *ibid.* & tutum tum ante, tum post conditionem impletam, reservationi nequaquam subijci. Ratio potissima mihi videtur esse, quia ejusmodi vota, cum sint sub conditione de futuro, imbibunt imperfectum consensum, utpotè dependentem à futuro eventu; adventus autem conditionis, non facit, quin consensus fuerit imperfectus, nec ejus naturam mutare potest; ergo, licet ea vota transeant, quoad alios effectus in absoluta: tamen semper primævam imperfectiorem retinent, atque adeò non subiacent reservationi, quæ cum sit odiosa, cadit solum in vota perfectè voluntaria. Adde dictum à nobis sup. lib. 1. n. 3. §. 7. v. *Voti*, n. 15. fatentibus Doctores, votum, de quo est dubium, an reservatum sit, reservatum non esse; quia reservatio est odiosa, unde & strictè interpretanda: at nemo negat, saltem dubium esse, an hæc vota sub conditione, vel sub pœna afficiat reservatio; ergo ab illa erunt immunia.

An materia subrogata pro Voto reservato, sit reservata.

33. Secunda difficultas: An quando Pontifex commutat votum reservatum in alias pias actiones, v.g. votum Castitatis in Jejunia; an, inquam, ipsum opus subrogatum, puta jejunium, sit reservatum, an potius ab Episcopo, similèmq; jurisdictionem participantibus dispensari queat, vel commutari?

34. Dico, non esse reservatum, dispensatque, vel commutari posse. Ita Sanch. Castro Pal. *mox cit.* P. Bardi in Bull. Cruc. p. 2. c. 7. c. 2. sect. 5. §. 4. aliique ab ipsis citati.

O 3

Ratio